

natura sua habent ingenitam propensionem & inclinationem ad eas dilacerandum & vorandum, quæ etiam naturalis rapacitas in illis non est prorsus otiosa, sed suos sibi congruentes habet motus, qui cum annis incrementa sumunt, Unde tandem concludo, quòd peccata actualia sint in infantibus, latè sumpta.

46. Quemadmodum enim in infantibus baptizatis, & per baptismum fide justificante donatis, sunt bona opera, à Spiritus S. inhabitantis gratia accensa: ita in iisdem sunt mala opera, à peccato originali, post baptismum reliquo, profecta. At bona opera, quæ ab infantibus baptizatis præstantur, *non prorsus similiter* se habent ad bona opera *adultorum* hominum credentium; siquidem horum bona opera constant. 1. Notitiâ magis evoluta & distincta, quàm qualis est in infantibus baptizatis. Ii enim etsi *verè credunt*; nondum tamen externam etiam habent indigi proximi cognitionem. 2. Adultorum opera habent plerumque annexam sibi propriam *βύλησιν καὶ περσείρεσιν*; infantum vero nunquam. 3. Adultorum opera tendunt etiam ad proximum: sed infantum, qua talium, fides nondum est per charitatem erga proximum efficax.

47. Nec est, ut hic dicas, peccatum originale per baptismum ex infantibus baptizatis prorsus extirpari. E. ab illo non posse produci pravas in infantibus actiones. Licet enim illud infantibus baptizatis verè remittatur; non tamen ex illis eradicatur, nec annihilatur; sed renatis hominibus baptizatis condonatur. Seu, ut loquar cum Jure Canon. de Consecrat. dist. 4. cap. 2. in baptisate concupiscentia extinguitur, non ut non sit; sed ut non obsit. Ubi etiam ex August. l. I. de peccat. merit. & remiss. seu de baptismo parvul. cap. 39. Tom 7. p. 271. citantur hæc ejus verba: Per baptismum Christi id agitur, ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem, non ut in ipsâ vivente carne concupiscentia conspersa & innata repente absumatur, & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ oberat nato &c. Atque hæc sunt argumenta, quibus *primum* nostrum theorema voluimus stabilire.

48. *Theorema secundum* sit hujusmodi: *In infantes, sive in utero matrum etiamnum conclusos, sive in lucem editos, nondum cadunt peccata actualia, pressè dicta, hoc est, præelectiva & voluntaria.* Idque probo. 1. A negatione *βύλησεως καὶ περσείρεσεως* in infantibus. Ubi enim nondum est *βύλησις*, nec *βέλευσις*, nec *περσείρεσις*, ibi nondum sunt actus consulti, voliti & præelecti. Tolle enim causam, & tollenda est ejus *ἐνέργεια*. At in infantibus, qua talibus, nondum est *βύλησις*, nec

βέ-